

colim? de eius cha
cede p picus: ut a
annua solentate le
martyr? tu a
Eus qui nos
hans? Justus ut pal
Stephani pape et
quos profecto se
participatione reco
quoniam memoriam
quimus omnipote
pianus. p. **Alia con**
gerim? certa redem
nos: ut quod pia
mine guesimus do
preciosi sanguinis
Complend. Quos
Retatio de apst
idum crecat et ga
tractamus: quibus
martyri honore de
Quia domine in
nos semp et immar
O blati tibi sacrifi

de apostolis. Collecta.
In unctio. **per totum kyrieleiso.**
Ad vincula sancti petri offic.
Iusta desideria compleantur. p.
fieri et via nostra purgent: et
sunt domine operatione my
desunt in terra. **Lob. Pet**
ricordie dona cocillet. p. **Lom.**
tatis ad soluat: et tue nobis mite
ramus: et vincula nostre prau
rum natalicia recententes offe
domine quam sanctorum tuo
dant. **Sect.** In ossa hec quam
persequitur. **Off. Abrahams**
descendens ielus. **Mat. Lum**
Allegoria. X. Justus aut. **Evangel.**
for. **dr. Grad.** B. lojolus deus.
Epla. Gradus agere debem?
habitus habet. **Per** domini
ab omnibus merentur aduer
tuonum mercedem? meritis:
veniam peccatorum: ut sanctorum
comitibus: de famulis tuis iuon
venendi copiosum mun? **Gre**



Fragment of a manuscript page with a large blank parchment area. On the right side, there are two fragments of text from an adjacent page, one of which clearly reads "Capitulum".

Ab. 9.

Ab. 9.

Deus qui scis tuis abdon **Evangelium**



INDEX ORATIONI: II. UO-

NUMERUS hoc comprehensarum

- I. Solemnia Anni Secularis Academiae Francofurtensis.
- II. De Auxilio Spiritus Sancti, Gindorfii.
- III. Gratulatio de recuperata Albia Regali, Natterae Druseae.
- IV. Gratulatio Christiano II. Electori Saxoniae, de hac Albia, Theodoro Sibi.
- V. Publica Gratularum Actio pro Regni Britanniae Consecratione, Sinningio Senio.
- VI. In Funere Georgii Frederici Ducis Brandenburgensis, Taubmanni.
- VII. De Illiti et Morte Johannis Frederici II. Captivi Ducis Saxoniae, M. Wolkii.
- VIII. Illite Christiana Semita Heckenberg.
- IX. Typotypos Scholasticus Boni et Mali, M. Heideri.
- X. De Ingenio Boni Militis et Strategii, M. Sappitzi.
- XI. De Communicatione Zangeri.
- XII. De Mutatione Remp. Henrici à Geisler.
- XIII. De Anno Jubilaeo 1800, D. Ruckebach.
- XIIIa. Programma Publicum, N. Oue, in Guntzen.
- XIV. Programma Oticae Facultatis Witebergensis.
- XV. Actus Doctorum D. Balduini.
- XVI. Parentatio Lutheo Sabita M. Sappitzi.
- XVII. Oratio memoriae P. Rungii Sabita M. Schmidt.
- XVIII. Oratio Parentalis de P. Mylio D. Hutteri.
- XIX. Chronologia de Theodororum quorundam opite M. Rauschard.
- XX. Idolum Callimianum M. Zephyri.
- XXI. Oratio de Resonantia Haememae Philippo-Rameae in Logica.
- XXII. Oratio de Utilitate et Necessitate Logicae Jacobi Martini.
- XXIII. Discursus Jam Ulro facti pro trinum Legem Naturam esse.
- XXIV. Oratio de Atonemina tua D. Meureri.

INDEX VULGARIS

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Deus qui scitis tuus abdon **Evangelium**





ORATIO

DE ANNO EPOCHES
CHRISTI MILLESIMO, SEX,
CENTESIMO, A CATHOLICIS HO,
 die Iubilæo dicto, in qua non tantum de Academia
 Francofordianæ solenni introductione, sed etiam cau-
 sis Anni Iubilæi, in veteri Testamento à DEO institu-
 ti, dicitur, abususq; eiusdem à Pontificibus Romanis,
 in Ecclesiam DEI primum introductus refutatur, &
 explicatur, vera Filij DEI, pro peccatis nostris
 monstrata satisfactione;

RECITATA

IN ACADEMIA FRANCOFORDIANA
 in Collegio Philosophorum
 Ab

ABRAHAMO ROCKENBACH IVRIS V. D.
 Græcæ linguæ & Mathematicum ante paucos annos, nunc
 verò Extraordinario juris Professore, Collegijq;
 Philosophici hoc tempore
 Decano,

Anno Christi 1600:
 ADDITA IN FINE BVLLA,
 CLEMENTIS OCTAVI
 Papæ, Pontificis
 Hoc tempore Maximi.

Typis Nicolai Voltzj exscripta.



In Orationem de Anno Iubilæo,
CLARISSIMI ET EXCEL-
LENTISSIMI VIRI Dn. ABRAHAMI
ROCKENBACH, I.V.D. & extraordinarij Pro-
fessoris, carmen extemporariam M. MAT
THAEI RVDIGERI, Poëtæ Laureati,
Silesii.

ROCKENBACHI clarissime,
Iurisq; consultissime,
Hos quod labores arduos
De Iubilæo, sedula
Phœbi cohorti haud invidēs,
Rectè facis. Nunc te putes
Summe beatum. Splendida
Namq; auferes præconia.
Te prædicabit scilicet
Præfens cohors & postera,
Cum Iubilo, & bullam dabit,
Credas, perennis gloriæ.
Nonne his beatum te putas
Vir admodum cultissime,
ROCKENBACHI clarissime.



AD ILLUSTRISSIMOS, RE-
VERENDISSIMOSQUE PRINCIPES ac
Dominos, D. IOACHIMUM FRIDERICUM,
sacri Romani Imperii Archicamerarium atque Electo-
rem: D. CHRISTIANUM VVILHELMUM,
Academiae Francofurtanae hoc tempore Rectorem
Magnificum, Archiepiscopum Meideburgensem, Pri-
matem Germaniae, Marchiones Brandenburgenses,
Duces Pomeraniae &c, Burggrauios Noriber-
genses &c. Dominos suos clemen-
tissimos,

PREFATIO.



*Omnes, qui negotiis uel cur-
ris grauioribus occupati sunt, Illustrissi-
mi, reuerendissimiq; Principes, dein-
de quiescere aliquandiu, uel alijs ex-
ercitijs, tum corporis, tum animi vires
recreare tunc solent, quando uel nego-
tiorum multitudo, uel laboris molestia
ipsum defatigauit. Non enim homo hanc
ob causam, tantum conditus est, ut de-
ditus uita huius quibuslibet, sit deditus, sed ut in uita quilibet, pro
ratione uocationis, tum Deo imprimis, (ut Plato dixit) grata
dicat, aliq; tum ad Ecclesiae Dei, rerumq; publicarum conseruatio-
nem, quae maxime facere uidentur, adiuuet. Etsi autem huiusmodi
natura, plerumq; talis est, ut magis ad otium & quietem, depositis
curis grauioribus feratur; tamen uicissim non omnium, uel uolun-*



P R Æ F A T I O.

tas, aut propositum idem est: Alij n. deambulationibus, alij eque-
 stribus certaminibus (prout Xenophon in Pædia Cyri, de magna-
 tibus dicit,) vel ludo aleæ aut scachidos, alij deniq; alijs rebus,
 prout voluptas, (vt Poëta dicit) quemlibet trahit, quo deinde se-
 quentib. diebus, ad res peragendas, alacriores esse possint, animos
 recreare solent. Ego autem, vt nihil ambitiose de me dicam,
 quamdiu tum in hac, tum in alijs Germaniæ Academiis versatus
 sum, in quibus publicè & privatim docui; quoties aliquid tempo-
 ris mihi superfuit, aq; scolasticis laboribus vsitatis quoties defati-
 gatus, cessare coactus fui, toties alijs studijs animum adijcere solitus
 sum: ac quoties alicujus lectionis quotidianæ, me fastidium cepit,
 id permutatione ad aliud genus, vel alia quadam meditatione trans-
 ferre consuevi. Quemadmodum n. ciborum varietas, ventre
 etiam satiato, gulam irritat: Sic lectionis varietas, novam quan-
 dam affectionem, novosq; quasi motus, in animis hominum ita ex-
 citat, vt alter animi labor, prioris veluti quies, ac voluptatis novæ,
 perceptio videatur esse. Inprimis verò eorum studiorum repeti-
 tio, quoties mihi in mentem venit, quæ in Academia VVitebergensi
 juvenis, ante aliquot annos, à Philippo Melanthane, & alijs, tunc
 temporis, tum in Theologia, tum in alijs disciplinis prælegendibus
 audiui, & ad alios, disciplinis honestis deditos, propagari, inter
 quas studium mathematicum, non infimum obtinet locum, & ex
 quibus partim anni huius Iubilæi constitutio, (divisione anni dupli-
 ci constituta) tum etiam causæ anni Iubilæi præsentis ex Theologia
 expositæ, de quibus in hac oratione dictum est, desumptæ sunt.
 Excolui autem studium Theologiæ per aliquot annos, disputando
 sicut & Mathematicum, in hac Academia, quemadmodum & alia,
 in disciplinis sedulo, vtpote quod pietas ad omnia, vt Paulus dicit,
 sit utilis. Deinde quod annorum calculatio sine his, commodè
 suscipi non possit, sicut in Iubilæo, expressè fieri deprehendi,
 (quamvis studium mathematicum, propter vitæ rationem præsen-
 tem, non ita semper colui) sed aliquo modo, si non in totum, dese-
 vere

PREFATIO.

rere coactus fui. Nunc autem quoniam annus hic millesimus, sexcentessimus, Iubilaeus à Catholicis dictus, instat, de quo varia à pontificibus semper, sicut & in bulla, à Clemente septimo Romae emissa, videre licet, beneficia hominibus offeruntur, quae à veritate nostrae religionis, planè sunt aliena, & talia, utpote quae auditu etiam sunt absurda, imprimis verò, quae de indulgentiis, sicut & de anno Iubilaeo docèt, κακοζηλια quaedam ex veteri testamento sine fundamento sacrarum literarum desumpta. Hoc itaq; tempus Iubilaeum, cum spatium centum annorum complectatur, & multa, ut dictum est, impia cum hoc tempore, in conventibus catholicorum, pertraherentur: cepi ego diligentius, hac de re cogitare, & quae tam in sacris literis, tam historijs ante haec tempora perlegi, sub incidem, ut dicitur, addita anni divisione duplici; revocare: praesertim cum neminem ex eruditioribus in territorio hoc Marchico vel Academia, de hoc monere tam literatos, quam illiteratos publicis scriptis animadverterem, hocq; quidquid est, in collegio publico proponere. Deinde calcare quoq; mihi addidit, praesentis temporis, quod ad devastationes, & expeditiones turcicas attinet, tristissimus status, ac futuri non-vana cogitatio, dum videlicet in defendenda patria nostra, militare contra tam truculentissimum hostem; conjunctis copijs hominum, pontificiis erroribus & idololatriis fascinatorum cogimur, Vbi saepius haecenus, & per multos annos, tristissimas clades, non sine paucorum Christianorum interitu & gemitu, tanquam poenas impietatis, & idololatriae, in Vngaria & vicinis locis sumus experti. De his, in refutatione cultuum idololatricorum, consternatus dum cogitavi, simul etiam meditationes pie & exempla aliorum, qui ante haec tempora, ab usum hunc anni Iubilaei Pontificium reprehendere soliti sunt, me mirifice retreaverunt, quod videlicet via falsitatis monstrata, homines ad verum cultum DEI, & anni Iubilaei reduxerunt, animos ad patientiam compararunt, consolationibus confirmarunt, adq; spem vitae aeternae iusto modo erexerunt, atq; in meditatione vera de anno

Iubileo, monstratis Pontificum erroribus retinuerunt. Ac quamvis in hac materia, non ea me prestare posse, animadvertebam, quæ ab alijs eruditioribus, in hoc genere studiorum, cultiori lima fortassis fieri potuissent, mihi tamen satis hoc tempore esse iudicavi, mediocri diligentia auditoribus fontes anni Iubilæi, ab usumque ejusdem monstrasse. Inde & autores, & hortatores quidam ex auditoribus fuerunt, scriptum hoc (sicut & ante hæc tempora, in expositione Calendarij Gregoriani publica in hac Academia facere solitus sum) in publicum emittere, alijsque cujuscumque facultatis studiosis de materia hac diligentius cogitantibus, communicare.

Hunc autem mei otij, studiorumque meorum tenuem fructum & laborem, de anno Iubilæo, Illustrissimi reverendissimique Principes, VV. CC. M. & RR. gratum & acceptum fore, hanc ob causam confido, quod nemo magis, (sicut & prioribus temporibus in Sabinis Saxonis, & nunc in territorio hoc Marchico, quibus VV. CC. M. & RR. præfuerunt, & ulterius præesse DEVS gubernando voluit, & nunc in dictis territorijs, thronum imperij ex divina clementia confirmavit) honesta studia fovit, quam VV. CC. M. & RR. & ita, ut non modò docti homines, sed ipsæ etiam, doctrinæ, omnia heroicis VV. CC. M. & RR. atque liberalitatibus debere fateantur. Cumque, fabulosis numinibus suis, propria quedam, ac peculiaria sacra, superstitiosi olim gentiles instituerent; cur non multò magis dijs nostris (quos summa observantiæ cultu prosequi, divina jubent oracula) acceptissima, hoc est maiestati & virtutibus ipsorum convenientissima offerre munera decet. Dominus Rex regem, cum filio suo coeterno, Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto, VV. CC. M. & RR. in hisce afflictissimis temporibus, diu florentes & incolumes tueatur, annos Iubilæos plurimos, toto tempore gubernationis tribuat, thronum VV. CC. M. & RR. justitia stabiliat, solium æquitate, liberet ab hostibus professis & clandestinis, ac impendentibus malis, det pacem, & consilia salutaria argiatur, plurimos Zopyros, quos rex Darius desiderabat, totidem

dem etiam Crateros potius, quam Hephæstiones, quorum Alexander Magnus ille, hunc Philalexandrum, illum verò Philobasilea vocare apud amicos solebat; non obscure significans, quantum adulator, à fideli consiliario differat. Verè n. de temporibus hisce, dici posse videtur illud:

Nulla fides est in pactis, mel in ore, verba lactis, fel in corde, fraus in factis. Cum his me, meaq̄ studia VV. CC. M. & RR. commendo. Francofordia cis Viadrum, ex meo Museo, die decimo Aprilis, mense primo, quo vniuersus populus Israeliticus, duce Iosua, per Iordanem, transiit tunc exundantem, anno millesimo, sexcentesimo, à Catholicis Iubilæo dicto.

V. V. CC. M. & RR.

Deditissimus

Abraham Rockenbach I. V. D.
& extraordinarius Professor, col-
legijq̄ Philosophici pro tempore
Decanus.





*Solemnitates,
quibus Aca-
demia Fran-
cofordiana
introduc-
ta
est.*

MNia & singula, quæ hominib. in hoc publico loco, timorem incutere possunt, ad dicendum accedentibus, Magnifice D. Rector & Prorector, Spectabilis D. Decane, reverendi, clarissimi, Pietate, eruditione & virtute præstantes Viri, Domini & Collegæ colendi, adolescentes omni doctrinarum genere instructissimi; ea mihi hoc tempore, quo ut scitis, more maiorum, exercitus quasi Musarum lustrari solent, obveniunt cuncta. Siue n. loci Amplitudo aliquid perturbationis adferre potest, siue audientium dignitas, magna videlicet hominum literatissimorum frequentia, siue ipsa materia orationis, dicendiq; conditio, ut mihi hoc tempore, de ingenio, doctrina, gloria & omnib. ornamentis, in hoc literarum certamine periclitandum sit. Vt pote quod in Academia hac, omnium ferè in Germania antiquissima & celeberrima, verba hodie facio, quæq; ab Illustrissimis Principibus ac Dominis, Domino Ioachimo Primo, Marchione Brandenburgensi, Sacri Rom. Imperij Archicamerario & Electore, eiusq; Fratre Alberto, Archiepiscopo Moguntino, Sacri Rom. Imperij Archicancellario, & Cardinale S. Chrysogoni, Dominoq; Theodoro de Bulou, Ecclesiæ Lubecensis Præsule, Academiæq; huius tunc temporis Cancellario, Anno Millesimo, Quingentesimo sexto, die vicesimo sexto Mensis Aprilis hora 8. cum suis Solemnitatib. & Privilegijs, Alexandri videlicet Papæ Sexti, & Maxemiliani Imperatoris primi concessis, introduc-ta, adq; annum hunc millesimum, sexcentessimum, à Catholicis hodie Iubilæum dictum, à nato Christo, à Successoribus, & reliquis Marchiæ Principibus & Electoribus, ad iam dictum annum conservata, & locupletata est: Rectore primo Conrado VVimpina de Buchen, sito in parte Franciæ Orientalis, artium Magistro, Sacræq; Theologiæ, iam fundatæ & introduc-tæ Academiæ Professore, die 10 Februarij, anno superius dicto, ordinato: Lutheriq; in Comitjs Augustanis, Anno 1530. acerrimo Antagonista. Qui quoq; in dictis comitjs, cum in morbum gravem incidisset, inde in Monasterium Amerbach, situm sub diocæsi Moguntina, se transferri curavit, ibiq; de bonis suis, testamento cum disposuisset, postea ibi mortuus, & in patriam suam Buchen translatus, & ibi sepultus est.

Hoe

Hoc n. in loco, qui de quacunq; materia dicere, leve quid-
dam esse putat, eum in maximarum, earundemq; toto orbe notis-
simarum rerum ignoratione versari, dicendum est. Quis n. hodie,
tam ab omni hominum consortio, remotus est locus, quo non
Academix huius & civitatis fama pervasit? Quis populus, quæ
gens, quæ hominum natio, tam barbara est, vel tam exculta disci-
plinis & artibus, quã non iam pridem, gloria & splendor, nominis
admiratione complevit? Cũ n. Eloquentissimos olim viros, vni-
us principis aspectu, cum ad dicendũ prodissent, obmutuisse legi-
mus, quid mihi tandem animi nunc esse putatis? ut pote qui cum
illis comparari non possim, quando apud vos hodierno die ora-
tionem habeo, ad quos cum aciem oculorum converto, princi-
pum certè confessum, mihi intueri videor.

Ac licet quidam sæpius ad eam excusationem confugerint,
cum in publico, de aliquo Argumenti genere dicere coacti sunt;
necessitate impulsæ, vel officio, vel amicorum precibus, sive tem-
poris ratione habita, dicendi munus non tam appetuisse, quam
etiam detrectare non potuisse dicunt. Has tamen rationes omnes,
hodierno die, conditio laudatissimi ordinis Philosophici mihi præ-
cludit. Etenim cum à teneris annis clarissimorum virorum,
tum in hac, tum in alijs Germanix Academijs, commotus exem-
plis, deinde natura hortante, honestarum artium studia coluerim,
ac quæ meo labore & studio mihi ipse comparavi, quantum per-
æratem licuit, alijs tradere hic & alibi solitus sum, in quibus quan-
tum in hisce studiis, & alijs disciplinis ac facultatibus, studioq; lin-
guarum profecerim, (quod quamvis tenue quiddam est, egoq;
me meo modulo ac pede metior) Domini & Collegæ, cum qui-
bus per multos annos, tum in hac, tum in alijs Germanix Acade-
mijs versatus sum, testes mihi erunt. Ac de causa mihi cogitantis,
cur in hunc locum hodierno die ascenderim, & ad quos verba
facturus sim, meam orationem in nullo alio genere vel argumen-
to, hoc tempore idoneo versari posse scio, quam si de Anno Iubi-
læo, quem Hebræi Iubal nominant, qui Sabatarius Iudæis fuit, &
quingagesimus dictus est, vel Iobeleus, ut pore quod Levitæ, eum
per tubas arietinas, qui Hebræis Iobelim dicuntur, convocato po-
pulo indicerent) dicam, adhibitis rationibus & exemplis, ex ve-
teribus scriptoribus desumptis, Non quod V. M. Generositatem
& Excellentias, auditoresq; præsentis, excellentes à natura ingenijs,
B eruditos

eruditos à studijs liberalium doctrinarum & historiarum, à diuturno, assiduoq; magnarum rerum usu peritos, non esse iudicem: Sed quia earum rerum cognitione, vehementer auditores affici hodie constat, vestros quoq; animos, iucunda recordatione earum rerum delectem. Quæ cum ita sint, hæc q; iam dicta materia, satis magnam audientiam facturam esse, non dubitem, nihilominus tamen peto, ut mihi argumentum, breui orationis genere in medium proferre hodie cogitanti, exigui temporis attentionem, auditores non denegent.

*Annus duplex apud
Ebræos.*

I.

Historicus.

Sciendum a. est hoc loco, primum, duplicem apud Ebræos annum fuisse, pro ut sacræ literæ testantur, Historicum, qui videlicet divina auctoritate institutus est, ac magna sapientia, ex ordine & lege motuum coelestium ita distributus, ut populo, quod ad dies festos & profestos attinet, certis congressibus publicis, norma esset. Exoritur autem hunc annum Ebræi, à novilunio, quod Verni æquinoctio proximum fuit, ea conditione, ut illud interlunium, semper anni initium ostenderet, quod vel diem æquinoctij proxime præcedebat vel sequebatur. A quo novilunio numerando, dies decimus quintus, Agni Paschalis mactationi erat destinatus, ut in lege Mosaica videre licet. Postea menses & dies, tam festos quam profestos, iuxta anni huius initium, non tantum dividerunt, sed etiam ordine numerarunt, ac eodem anno, annorum seriem mundi continuam, & historias populi Iudæici notabant, ac quidquid in Ecclesia & Repub. illa fiebat & gerebatur, decidebant. Aequinoctij itaq; observatione, vel reditu Solis, ad idem punctum æquinoctij Verni, Deus annos numerari voluit, tanquam exactissimo & certissimo limite, ne deinde anni principium, incertis sedibus vagaretur. Inde postea cursu Lunæ, annua intervalla, in certos articulos vitæ, convenientes actionibus populi, observari Deus voluit.

Hic annus Ebræorum, compositus fuit exactissime ex cursu Solis & Lunæ, quo etiam accuratis observationibus motuum, in Tribu Leuitarum, studia Mathematicum in ipsa Ecclesia, conservata & propagata sunt, præsertim cum dies æquinoctij, qui anno principium certum dedit, animos ad contemplationem corporum coelestium, & diligentem anni mensuram excitaret. Etsi a. ex conversionibus Lunæ Synodicis, Ebræi annum metiebantur, tamen propter defectum, undecim fere dierum, qui à Solis periodo deficiunt.

deficiebant, his certa ratione insertis, luminum defectum comple-
bant, ut ita cum Solis Periodis convenirent, æquinoctiaq; & Soli-
stitia, suas sedes retinerent. Nec etiam Pascha celebrare eis licuit,
cui dies decimus quintus, primi mensis fuit attributus, ante diem
æquinoctij, sed vel ipso æquinoctij die, vel post.

Quare si intercalationem undecim dierum omisissent, qui
annis lunaribus desunt, mensis & festum Paschatis per omnes
anni partes, fuissent incerti, ac interdum in æstatem, vel hyemem,
aut etiam in autumnum incidissent, quod ne accideret, intercalatio-
ne undecim dierum fuit provisum & cautum, qui secundo aut ter-
tio anno, in unum mensem contracti, prout res tulit, certo modo
inseruerunt, reliquis diebus, si qui superfuerunt, usq; ad octavum
annum servatis. Tunc n. temporis, æquinoctia, anniq; initium,
ad suas sedes priores exactè revocabantur. Interea a. anni ini-
tium vagabatur ita, quod si primo anno, in ipsum æquinoctij diem
incidit, cui nascente Christo, vicesimo quinto Martij congruit, tunc
postea anno sequenti, propter dies undecim omisos, in 14. Mar-
tij, Secundo in tertium Martij diem retrocessit. Tertio, quamvis
unus mensis interpositus, ex collectione ter undecim dierum, con-
fectus est, propius æquinoctij diem, anni initium admovebat: ta-
men adhuc triduo, propter reliquos tres dies aberit, & octavo
tandem anno, æquinoctium, & anni initium, ad vnum diem, re-
ducebantur. Qua de re Epiphanius, rerum Ebraicarum peritissi-
mus Scriptor, in sermone contra Alogianos, & Calendarium
Ebraicum exactius de his, qui plura scire cupit, tractant. Hancq;
anni rationem, & observationem exemplo Patrum, artifices,
Astronomicæ doctrinæ peritissimi, magna cura retinuerunt, & ad
posteritatem, propter Astronomicæ cognitionem propagarunt.

Alter annus ab Ebraeis, Oeconomicus vel Politicus dictus est.
Hinc à primo die mensis septimi, prioris anni historici, quo die E-
braei festum Tubarum celebrarunt, inchoarunt (prædicatione Euange-
lij, de expiatione peccatorum nostrorum per Christum, & instar
Tubæ, toto orbe terrarum spargendam esse significans, de qua
Esdr. 40. & 58 dicitur, & decimo quinto die eiusdem mensis, festum
Tabernaculorum, quod σκηνοπηγίας. 2. Esdr. 8. dicitur) in quo
frugibus feliciter perceptis eo anno, Deo gratias deinde egerunt.
Huius autem anni Initium, Deus diversum esse voluit à priori

II.

Oeconomi-
cus & Po-
liticus.

certas ob causas. Quarum prima est, ut anno hoc finito, postquam fruges collegerunt annuas, decimas Sacerdotibus, & debitum Templo solverent, & si quis quid ex mutuo, commodato, aliove contractu, vel emptionis etiam deberet, id postea restituerent. Ac tempus aliud solutioni debitorum, magis commodum eligi non potuit, quam illud, quo post-messum vel Vindemiam abundarunt.

Deinde hic annus, institutioni Septimi anni inserviebat. Deus n. voluit, ut sex annis colerent & consererent terram, anno autem septimo, quietem ipsis concederent, ac quicquid eo anno sponte sua terra proferret, id publicum esset & commune. Quapropter tunc hunc annum inchoari oportuit, cum præteriti proventus, sese ad futurum præparassent.

Tertiò, exactis quadraginta novem annis, cum eodem anno, Annum, qui Iubilæus dictus est, exorsi sunt. Quinquagesimus n. quisq̄, ex divina ordinatione, erat Iubilæus, quo omnia prorsus cultura, præcedentis anni proventus, & illis quæ sponte provenerunt, fruebantur. Hoc anno, quem Hieronymus Remissionis annum nominat, singulis suæ possessiones, aliis oppignoratæ, vel venditæ, sine pretio restituebantur, ut ita familiæ tenuiores conservari, & in suis nidulis manere possent, cum nec venditione perpetua alienare bona, nec usuris, quæ omninò vitatæ erant, exhausti potuerint. Immoderatæ n. usuræ ubi conceduntur, ut apud Romanos, interdum duas vel tres centesimas ipsos numerasse legimus; hoc malum deinde secutum est, ut non modo multas familias, sed etiam totas gentes, ita usuris immodicis exhaustas tandem fuisset, ut filios & filias, vendere coacti sint.

De hac institutione anni quinquagesimi, qui Iubilæus dictus est, Prolixius cap. 25. & 27. Levitici & Num. 16. dicitur.

*Causæ anni
Iubilæi qua-
tuor, in Ec-
clesia veteri.*

Non a. levi de causa, Annus Iubilæus, in veteri Ecclesia à Deo institutus & celebratus fuit. Observatio n. anni Iubilæi vel quinquagesimi, primum ad temporum numerationem profuit, quæ Deus in Ecclesia voluit esse nota, ut Exordium mundi & Ecclesiæ, series annorum mundi, & tempora divinarum patefactionum, collectæ & instauratæ Ecclesiæ, adventus filij Dei in carnem & ad Iudicium, ac series Monarchiarum & mutationum, rerumq̄ maximarum in Imperiis, commodius considerari, & animo ac memoria comprehendi possint. Ac quemadmodum Græci per
Olim

Olimpiades, Astronomi per *ἑνεαδεκατηρίδα*, aut Metonis, vel Calippi *περίοδο*, Septuaginta sex annos comprehendentem, numerarunt: ita Iudæi per Iubilæos, plures annos collegerunt, & tempora distinxerunt. Exempli causa, à condito mundo, ad distributionem Terræ Canaan filijs Israel, anno septimo post transitum Iordanis, præcisè anni Iubilæi quinquaginta numerantur. A primo Ingressu populi Israel in terram Canaan, usq; ad baptismum & prædicationem Christi, Iubilæi præcisè triginta recensentur, quo ipso tempore, Christus 30. suæ ætatis annum egit, sicut & à principio mundi, usq; ad legem de Iubilæo latam, quadraginta novem anni Iubilæi, cum annis tribus effluxerunt. A condito vero mundo, usq; ad hunc nostrum præsentem annum, videlicet 600, Iubilæi centum & undecim præterierunt. Ac quemadmodum legum Politicarum finis esse debet, quando ordinantur, Salus Reipub.; Sic quoq; lex de Anno Iubilæo, ad totius politiæ à Deo constitutæ, & singularum familiarum conservationem, quæ divinitus distinctæ fuerunt, profuerunt, ut videlicet sciri posset, ex qua familia Messias promissus nasciturus esset. Singulis itaq; familijs, cum certi fundi & agri, ut supra dictum est, in prima terræ distributione, sint assignati, ex quibus ipsæ & liberi alimenta haberent: Lex de Iubilæo, suas possessiones singulis, alijs oppignoratas vel venditas, sine pretio restituerebat.

Tertiò, Lex de Iubilæo, aliarum virtutum, misericordiæ videlicet, humanitatis & beneficentiæ, imprimis verò frugalitatis & Parsimoniæ nervus fuit, quæ virtus est, sumtus non necessarios, vitans, & ubi ratio monet, ad usus honestos, quantum opus est expendens. In Politia igitur Iudaica, homines prodigi, cum perpetuo, agrorum & domuum suarum, venditiones lege prohiberentur, ne mutuam accipere sine usura, & luxuriæ instrumenta comparare facile possent, luxum, convivias, ædificationes immodicas, quæ mutuationibus occasionem præbent, constringere coacti sunt. Quemadmodum & Plutarchus etiam in quodam loco, de hac re dicit: Pecuniã plerunq; mutuo sumi, non ut panis, aliæve res ad vitam necessariæ emanent (sicut hirundines & formicæ &c. nihil à foeneratore petunt) sed alium domus magnificè extructa, debitorem facit, alium emptiones non necessariæ, alium vestes pretiosæ, alium familia ampla, quam quotidie alere solet. Paupertatem a, deinde ferre non valentes, onus multo gravius sibi

B 3

impo



imponunt, quando videlicet pecuniam mutuo sumunt, quæ ad paupertatem proxima via est. Lex itaq; de iubilæo, non tantum vsuras, sed etiam proprietatem fundorum, emtione ad alienam familiam transferre prohibuit, ut ita mutuaciones, venditiones, luxuria & æs alienum prohiberentur.

Ultimo loco, Annus iubilæus tempus prædicationis Euangelij de Christo, remissionem omnium debitorum nostrorum, & liberationem à peccato & æterna damnatione denotat, liberumq; accessum, ad amissam regni cælorum hæreditatem propter Christum mediatorem significat, omnibusq; voci Euangelij credentibus donat & impertit. Sicut Esaiæ c. 61. dicitur: Spiritus Domini super me, qui ad annūciandum mansuetis misit me, ut contritis corde mederer, & captiuis libertatem prædicarem, clausis vero apertionem, ut annum placabilem Domino prædicarem. Atq; ita iubilæus hic, seu annūciatio remissionis peccatorum, & liberationis à peccato & maledictione legis, & pœnis æternis, semper in Ecclesia hodie celebratur, ministerioq; Euangelij, ac propria fide cuiusq;, singulis applicatur, non tantum anno Centesimo, aut quinquagesimo, vel vicesimo quinto, (ut Pontificij alium anni iubilæi finem constituentes, docent) sed quocunq; vitæ nostræ tempore.

*Origo anni
Iubilæi apud
Pontifices.*

Initata sunt κακοζήλια quadam, hunc annum iubilæum Pontifices, qui sub Imperio Venceslai, Caroli Quarti filio, regis Boemorum, anno millesimo, quadringentesimo, in Ecclesiam Romanam ita fuit introductus, ut quovis centesimo anno, pro secularibus ludis Ethnicis, qui Romæ erant monumentum annorum, ab urbe condita, annus iubilæus celebraretur, κακοζήλια iubilæi Iudaici, accommodatus superstitioni & avaritiæ sedis Romanæ. Finxerunt n. Indulgentias, ut vocant, quæ sunt relaxationes pœnarum Canoniarum. Has se professi sunt, uberrimas largiri, ac distribuere in iubilæo. Sic & de Bonifacio Octavo Pontifice legitur, qui sextum librum Decretalium Iuri Canonico addidit, ac annum iubilæum, omnium primus, anno Christi 1300. instituit, & centesimo quoquo anno renovari iussit, ita, ut illis, qui Romam venirent, & suas Preces ad Divi Petri & Pauli sepulchra, vel Basilicas effunderent, non solum plenam & largiorem, sed & plenissimam omnium suorum peccatorum veniam haberent. Deinde, Pontifice hoc mortuo, Clemens Sextus, huic succedens, anno
Christi

Christi 1342. constituit, ut exēplo anni Iubilæi Mosaici, quinquagesimo quoquo anno, indulgentiæ peccatorum, visitantibus Imina Apostolorum, largissimè concederentur. Et ut Romam tunc temporis proficiscentes, eò avidius plures iter susciperent, edictum peculiare suo nomine publicari iussit, quo se angelis in cœlo mandasse significavit, ut illos, qui tempore Peregrinationis itinere morerentur, in regnum cœlorum sine mora transferent. Hunc annum quinquagesimum, & Paulus Tertius, Pontifex maximus observavit, cumq̃ supra millesimum, quingentesimum, humanæ salutis annum, quinquagesimus instaret, mensibus aliquot antè, divulgatis literis, ad omnes populos, hortatus est eos, & maiorem in modum precatus, ne tantam occasionem, exonerandi peccata, & assequendi regnum cœlorum prætermitterent. Gratulatus quoq̃ tunc etiam est sibi valde, quod ad tantum annorum numerum, aetatem perduxisset, sibiq̃ iucundissimum esse dixit, quod de genere humano, tam bene meritus esset. Sed hæc res non ita feliciter, tunc temporis, ut sibi Pontifex antea propoluerat, successit, è vivis n. ipse, ante diem adventus anni Iubilæi discessit, quem prius magno animi desiderio expectaverat, sicut & historici, hæc de re prolixius testantur. Sixtus autem Quartus, anno Christi 1473. annum quinquagesimum, quem Iubilæum diu vocaverant, ad vicesimum quintum annum, hanc ob causam revocavit, quod videlicet inter mille homines, vix unus esset, qui Quinquagesimum ætatis annum attingeret. Cumq̃ hoc etiam spatium temporis, ad colligendâ pro indulgentiis pecuniam, nimis longum quibusdam videretur, quæstores indulgentiarum tandem, etiam in singulas Provincias missi sunt, qui numerantibus pecuniâ non secus, ac si in anno Iubilæo, ad Apostolorum Basilicas profecti essent, uberrimas omnium peccatorum Indulgentias vendebant. Imitatus est Bonifacium Octavum, Pontificem Maximum, superius dictum, hodie, & Clemens Octavus Pontifex Maximus, qui anno incarnationis Dominicæ 1599. 14. Calend. Iunij, anno Pontificatus octavo, bullam ad omnes ordines Imperij Romani, Polonicosq̃ (exteris nationibus exceptis) emisit, in quâ non tantum anni huius sexcentissimi, Iubilæi dicti mentionem facit, adq̃ Basilicas beatorum Petri & Pauli, omnes fidei ipsius addictos, ad assequendam remissionem peccatorum invitât, sed etiam querelas maximas, in ea simul miscet, aq̃ fidei catholicæ religione, intra spatium.

spatium centum annorum plurimos defecisse deplorat, sicut in dicta Bulla, ex *αυτογραφή* transcripta, & paulo post à me publicanda, videre prolixius auditores poterunt. In his Commentis, cum multa tetra & impudentissima mendacia sint deprehensa, imposturæq; manifestæ, occasio prioribus temporibus data est Doctoribus, in Academia Pragensi, quæ consilio & auctoritate Caroli Quarti, ex Parisiensi deducta est, (omni n. doctrinarum genere florebat) ut de manifesta indulgentiarum vanitate disputaretur. Sed excelluit ante alios viros, in dicto loco, tunc temporis, eruditione & fama, Ioannes Huss Boemus, hic propter excellentiam doctrinæ, eas acerrimè impugnare cepit, demonstrans unicam esse remissionem peccatorum, quæ ministerio Euangelij & fide, quocumq; tempore accipiatur, assidueq; iubilæum esse in conscientijs piorum, luctantium cum pavore, qui fiducia filij eos vincunt, Deum invocant, & auxilium expectant. non tantum quod ad naturæ humanæ restitutionem, sed etiam statum innocentiae pristinum, qui in patria illa cœlesti nobis dabitur, qua hodie adhuc careremus. Inchoari tamen in hac vita iubilæum nostrum oportet, & in futura, æterna consuetudine, cum filio DEI perfici, ubi à peccato, morte & omnibus miserijs liberi tandem erimus. Poenas verò Canonicas, nec remissionem culpæ, nec poenarum æternarum, nec purgatorij, vel etiam aliarum calamitatum mereri, propter quas homines in hac vita puniuntur. Et quamvis certum est, quod in initio in Ecclesia, spectacula quaedam fuerint, quibus polluti manifestis sceleribus recepti sunt. Nihil tamen hæc ad remissionem peccatorum, coram Deo facere, sed ut in Ecclesia exempla reorum proponerentur; postea autem in veteri illa Ecclesia crevisse, ita tamen, ut deinceps cum onus fieret immodicum, relaxationes excogitari oportuerit, quas indulgentias vocarunt. Indulgentias autem iam dictas, tantum imposturas esse, quia sunt relaxationes rituum iam extinctorum. Satisfactiones n. tantum fuisse superstitiosas & improbandas, & quæ paulatim tempore consenuerunt.

Ab his initijs, Hussus paulatim progressus, in Pontificem & eius Tyrannidem, ut pote quod caput Ecclesiæ se esse dixerat, graviter invecus est. Inprimis autem præter capita superius dicta, superbiam quoq; luxum Sacerdotum, avaritiam reprehendit,
Vita,

vota, Impurum cælibatum, superstitiones, omnemq; rationem in
vita monachorum, & quicquid in ritibus Ecclesiasticis impium
& execrandum fuit, acq; norma fidei alienum, refutavit, ut super
cultus Invocationis Sanctorum, depravatio Cænæ Domini
cæ, imaginum adorationes, olei, salis, aquæ impiæ benedictio
nes, omnium peccatorum enumerationes, missarum celebrationes
pro animabus defunctorum, & his similia.

Populum ergo Hussus, cum concionibus suis commovisset,
emendationem doctrinæ, à suo rege flagitare statim cepit.
Cumq; tunc temporis Venceslaus rex, præstare nec vellet nec
posset, à privatis tandem suscepta est, sed modo non convenienti
vel ordine. Ad arma n. tandem ventum est. Ac licet Hussio
eventum præstare non fuerit possibile, tamen factum laude dis
gnum, ipsum tunc temporis suscepisse, adhuc hodie multi testan
tur, quod videlicet ad veriorum doctrinæ cultum, populum re
vocavit, monstrata falsitate Pontificum, ex libris Prophetis &
Apostolicis.

Initium a. harum disputationum iam dictarum, paulo ante,
Vuiclesus in Anglia, anno Millesimo, trecentesimo, septuagesimo
secundo fecerat, cuius exemplo Hussus deinde excitatus, qui son
tibus sacrarum literarum diligentius inquisitis, ita se adversus Pon
tificum rabiem muniuerat, ut quicquid ab ipsis, ad impiam doctri
nam stabilendam produceretur, illud omne facillimo labore, &
auctoritate sacrarum literarum fuit eversum. Destructa est his
certaminibus Academia Pragensis, licet aliæ quoq; contentiones
inter Germanos & Boemos, tunc temporis intervenerunt. Ca
rolus n. Germanos, honoribus, dignitatibus, iure & numero suffra
giorum, Boemis prætulit. Quæ res occasionem quoq; dedit dis
sidij plurimis, ut videlicet hospites exagitarentur, ab indigenis
multis. Sed in causa religionis, Hussus patrocinio causæ, popu
licq; applausu, multo erat potentior Germanis, qui pro Pontifice
tunc temporis pugnabant, ideo quoq; cesserunt, & aliqui inter il
los Erphordiam, aliqui Lipsiam se contulerunt. Inde quoq; hæ
duæ Academiae, ex Pragensi ortæ sunt. Pontifices verò Ro
mani, rabiem per multos annos in Imperatores usurpatam, tan
dem quoq; dissidentes, in semetipsos arma converterunt, post
quam videlicet purpurati, plures Pontifices designarunt, qui cum
parum aut nihil armis poverint, execrationibus se mutuo sunt
C
prose

prosecuti, orbis Christiani regibus concitatis, odioque mutuo inflammatis. Cardinales Italici, ut reductis in urbem Pontificibus, amissum imperium recuperarent, Pontifices in urbem redierunt, ut ita incendia seditionum assiduarum sedarent. Urbanum Sextum ad gubernacula collocarunt, ea conditione, ut in urbe maneret. Gallici ne de possessa dignitate, per annos septuaginta in discrimen venirent, Clementem septimum huic opposuerunt. Atque ita tunc temporis, Urbano Italia, Germania & Pannonia, Clementi, Gallia, Hispania & Britannia adhaeserunt. Cumque propter certamina Pontificum varia, reditus eorum, hinc inde interciperentur, variaque tunc temporis, in legatos Imperatoris molirentur, qui ut quiescerent, utrinque eos monuerunt. Cumque nihil efficere potuerint, sed indies magis magisque, uno Pontifice factionibus extincto, alius succederet, prior priori. Tandem Sigismundus Imperator, multo labore, propter certamina Pontificum iam dicta, quibus rotus orbis Christianus involuebatur, indiesque locupletata, Synodum Constantiensem conscripsit, in eaque ut Iohannes Hus & Hieronymus Pragensis, sub fide publica se sisterent, obtinuit, doctrinaeque suae ut rationem redderet, quae Romanae Ecclesiae contrariam docere ceperant. Etsi a. Sigismundus recte fecit, quod dissidium inter Pontifices, non armis vel violentis modis, sed disceptatione legitima tollere studuit, & quod controversias, motas ad Synodi iudicium deduci voluit, ut orbi terrarum consuleretur: Tamen vicissim in hoc peccavit, quod non dedit operam, ut sublata Pontificum Tyrannide, Iudicium Ecclesiae, ad exemplum ceterarum Synodorum, quas sua auctoritate, antea Imperatores moderati sunt, emendarentur; ut videlicet moderatione Ecclesiae convenienti, cognitio controversiarum, iuxta normam sacrarum literarum institueretur, & ut pijs & doctis, libertas dicendi sententias concederetur, neue statim iuxta decreta Canonum vitiosa, vel consuetudinem Romanae Ecclesiae opprimerentur, causa nondum legitime cognita. Fracta n. fide a Tyrannide Pontificum, Synodus tunc temporis, dogmata Ioannis Wicklesi Angli, in quadraginta quinque capita conscripta, itidemque articulos septuaginta, a Gerlone Cancellario Parisiensi, Synodo oblata, in quibus quomodo conscientijs fascinatis superstitione, & laqueo humanarum traditionum consuleretur, dictum est, unam cum Ioanne Husso, & Hieronymo Pragensi, condemnavit. Hussumque

sumq; usitato ritu sacerdotali, & dignitate exutum, ac magistratui civili traditum, ad locum supplicij, mitra cartacea, Episcopali similem, in qua tres cartacei Cacodæmones depicti fuerunt, duxerunt, cum hac inscriptione; iste est Heresiarcha. Ipse verò, & inter eundem, & iam rogo impositus, flamma vincente, subinde has voces repetit: Iesu Christe, fili Dei vivi, qui passus es pro nobis, miserere mei. Scribitur etiam de ipso, quod præ sapiens regni Pontificij interitum, Spiritu vaticinico dixerit: ex suis cineribus olorem nasciturum esse, quem non ita, comburere poterunt, sicut hunc anserem. Hussus enim, anserem, lingua Boemica denotat. Fertur etiam ex eo, has voces sapius esse exauditas: post centum annos, Deo & mihi respondebitis. Quæ deinde verba à Boemis in ambitu monetæ, imagine Husi sunt signata, & ab ipsis tunc temporis excusa.

Factum est hoc octavo Iulij, Anno millesimo, quadringentesimo decimo quinto, De Pragensi verò, condemnato cum Husso, quinto Iduum Septembris, anno superius dicto, supplicium paulo post, eodem modo, ut de Husso sumtum est. Vaticanij autem fidem, eventus in Husso, paulo post comprobavit. Inter Synodum n. Constantiensem, & initia disputationum Lutheri, anni centum effluxerunt, quibus Leo Decimus, Pontifex maximus occasionem dedit, quicq; in omnes Christiani nominis Ecclesias, quæstores misit, quadam potestate maiorum, ut sibi videbatur, additis diplomatis, in quibus omnium delictorum expiationem vendebat, eamq; indulgentias nominari iussit, de quo Sanazarius lib. 3. Epigram: ita dicit:

Sacra sub extrema, si fortè requiritis hora,

Cur Leo non potuit sumere, vendiderat.

Quæ postea mendata impudentissima, Ioannes Thecelius Dominicanus, in hac Academia, dicto modo divulgavit, & themata sua, Lutheranis de Indulgentijs, contraria proposuit, quibus & Pontificis potestatem, & fructum indulgentiarum, & eam quæ passim tunc temporis erat in templis, erecta iussu Pontificis, crucem ligneam vehementer prædicavit: Ita quidem, ut cum Leone Decimo, Petrum Apostolum, & Crucem, in qua Christus vitam pro nobis profudit, cum hac Pontificia conferret. Hæc mendata impudentissima iam dicta, occasionem ut dixi, Luthero præbuerunt, taxandi indulgentias & satisfactones, & illustrandi veram

doctrinam, de remissione peccatorum gratuita, & omnibus parti-
bus Pœnitentiæ. Extant a. Bullæ, ut supra dictum est, Pontifi-
cum de Indulgentiis variæ, à diversis Pontificibus, ratione tempo-
ris habita, in Extravaganti de Pœnitentiæ & remissis lib. 5, Iuri Can-
onico insertæ. Quarum aliquæ à Bonifacio octavo concessæ, ad
numerum centum annorum sese extendunt, aliquas verò ad quin-
quaginta, propter hominis fragilitatem, & vitæ brevitatem, Cle-
mens Sextus reduxit. Sixtus Quartus verò, indulgentias 50. an-
norum, ad vicesimum quintum, aliquas etiam ab ipso concessas
antea, certas ob causas omnino revocavit. Summa autem totius
commenti de satisfactionibus, & anni Iubilæi indulgentiis, quæ
Pœnarum seu satisfactionum Canoniarum sunt remissiones, a
Gloss. in c. 1. d. Pœnitentiæ & remissis: prolixè in antiquis exponit-
tur, Vbi docetur, culpam remitti à solo Deo, pœnitentiam agen-
ti, in contritione, pœnarum a. æternarum infinitatem, peccatis de-
bitarum, in pœnam temporalem purgatorij mutari, partem quoq;
pœnarum, potestate clavium remitti, partem quoq; satisfactio-
nis canonicis, ieiunijs videlicet, peregrinationibus, precibus &
alijs operibus, à sacerdotibus impositis redimendam esse. Quæ
etsi in hac vita, pro expiatione peccatorum non sufficiunt, in pur-
gatorio tamen integrè persolvendas esse. Nominaunt a. harum
satisfactionum seu pœnarum Canoniarum remissiones, Indulgen-
tias, quas in anno Iubilæo, omnium uberrimas se largiri sinxerunt.
Sed hæc impudentissima mendacia, Evangelium refutat, docens
mortem æternam, nostra compensatione non aboleri, sed quemad-
modum culpa nobis donatur, ita quoq; pœna æterna, propter
filij Dei passionem & intercessionem apud patrem donari: quæ ad
modum Ioann. 3. dicitur, qui credit in filium, habet vitam æter-
nam. Item, Vita æterna, donum Dei est, per Christum Iesum.
Maxima itaq; impietas est, quod pœnam æternam, mutatam in
temporalem, redimi nostris operibus adversarij fingunt. Deinde
illas satisfactiones Canonicas, merito Ecclesia dereftatur, quas ad-
versarij opera esse indebita dicunt, à Sacerdote imposita, quibus in
in purgatorio, pro pœnis nostrorum peccatorum, & hac vita susti-
nendis satisfiat, cum sine ullo verbi divini fundamento, in Ecclesiã
fuit introducta. Ac licet in veteri Ecclesia, qui externis delictis pol-
luti erant, certis ritibus castigabantur, antè absolutionem, ut supe-
rius quoq; dictum est, illa tamen tunc temporis, suas habuerunt
ratio)

rationes, videlicet ut alij inde eiusmodi exemplis deterriti, & in Ecclesia, postea in vita essent circumspectiores, ac magis ex animo dolerent. Monachi autem, ritus veterum non observantes, absolute si satisfactiones addiderunt, seu opera indebita, hasq; ad peccatorum expiationem esse necessarias finxerunt, praesertim cum culrus Dei, sint opera non mandata à Deo, ut dicitur: frustra conlunt me mandatis hominum. Postea cum opinio necessitatis, aut meriti affingitur, videlicet opera Deum placatum & propitium reddere, vel quod hæc opera, Deum placatum & propitium reddant, vel etiam peccatorum remissionem, culpæ & poenæ mereantur: horrendam illos idolatriam committere certum est, qui honorem soli filio Dei competentem, quod ad opus redemptionis, in opera commentitia transferunt. Ac licet verum sit, pro ut sacrae literæ docent, poenas temporales huius vitæ, non statim remitti, accepta remissione peccatorum, distinctam tamen esse in hac vita remissionem culpæ, à remissione poenæ corporalis: Id quod in exemplo Davidis videre licet, absoluti voce Prophetæ, horribilem tamen nihilominus calamitatum molem sustinentis. Hæc tamen poenæ, & aliæ afflictionum differentia, imponi & remitti, potestate clavium possunt, neq; etiam sunt recompensationes pro peccatis, aut morte æterna, sed sunt vel *δουλοσίου* fidei, invocationis, patientiæ sanctorum, vel *πυροσίου* certorum delictorum, vel etiam immundicie interioris, in sanctis relictae, quam vera poenitentia & cruce, Deus expurgari vult. Vel etiam sunt *μαρτυρία* doctrinæ, & vitæ secuturæ, sicut alibi etiam causæ duodecim exponuntur, propter quas membra Ecclesiæ præ alijs, cruci subiecta sunt. Quarum mitigatio, & si à Deo, pietate & vitæ emendatione, precibusq; ad Deum serijs impetrari potest, (sicut Esaias cap. 18. hoc testatur dicens: si poenitentiam egerit gens ista, à malo suo, agam & ego poenitentiam de malo, quod ego illis infligere cogitavi) promissiones tamen mitigationis & liberationis, ratione satisfactionum canonicarum, quæ adversarij opera indebita vocant, nihil facere neq; huc pertinere, omnes pñ & veritatis studiosi intelligunt, DIXI.



SANCTISSIMI DOMINI
NOSTRI CLEMENTIS, DI-
VINA PROVIDENTIA
PAPAE VIII,
BVLLA;

INDICTIONIS SANCTI IVBILÆI,
PRO VISITANTIBVS BASILICAS BEATO-
RVM PETRI ET PAVLI, NEC NON ECCLESIAS
SANCTI IOANNIS LATERANENS: & beatæ MARIAE
MAIORIS DE VRBE, Proximo Anno
Millesimo sexcentesimo.

CLEMENS EPISCOPVS SERVVS
Servorum DEI, Vniuersis CHRISTI fidelib: præ-
sentes literas inspecturis, salutem & Aposto-
licam benedictionem.



*Annus Domini placabilis, An-
nus remissionis & Veniæ, Filij in Christo dile-
ctissimi, jam Dei munere propinquat, jam tem-
pus acceptabile, & dies æternæ salutis adveni-
unt, ad redimenda peccata, ad salvandas ani-
mas. Annus Christiano populo imprimis opta-
bilis, & iucundus sanctissimi Iubilæi, jam prope adest, qui à salu-
tifero partu beatæ DEI genitricis, & semper Virginis Mariæ,
sexcentissimus supra millesimum numeratur, tanto majori fide-
lium gaudio & frequentia, in alma hac vrbe de more celebrandus;
quanto*

quanto expressius atq̄ efficacius, suam primariam originem representat. Nam, quemadmodum veteri traditione, & majorum monumentis testatum est, antiquissimo Romanæ Ecclesiæ instituto, per decurrentes seculorum ætates, hoc est, singulis centenis annis, à Christi Domini, & Salvatoris nostri Natali, amplissimæ peccatorum indulgentiæ, & remissiones propositæ erant ijs, qui sacra beatorum Apostolorum limina, piè ac devotè visuarent. Quam sanè vetustam institutionem anni centesimi, non vana Gentilium superstitione, sed religioso cultu, & Christianorum concursu Romæ celebrandi, fel. rec: BONIFACIVS Papa VIII, Prædecessor, suo Apostolico decreto, ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum confirmavit. Ac licet alij summi Pontifices, Prædecessores item nostri, qui postea sunt consecuti, intra angustiorem annorum limites, propter vitæ humanæ brevitatem, Jubilæi celebrandi spatium contraxerint: ipsa tamen centenarij celebratio, ob antiquæ celebrationis primordia, inprimis, insignis non immerito existimatur. Et revera divino consilio factum videtur, ut postremo, cuiusvis seculi anno, quod longissimum etiam humanæ vitæ spatium censetur, in ipsa arte & domicilio Christianæ religionis, tanti beneficij memoria à cunctis fidelibus recolatur; quod scilicet ad omnes homines illuminandos, sol iustitiæ Christus, Deus noster, qui humano generi salutem attulit, & ex utero Virginis egressus est; ex eo etiam, quod Christiani universi ad Petri sedem, & ad fidei Petram, tanquam Filij ad Patrem, & oves ad Pastorem summum, simul confluunt; tanto magis unius ovilis, & unius Pastoris unitas appareat, & unius fidei splendor latius elucescat, quæ nullo seculorum decursu, nulla temporum varietate immutata est, sed semper eadem, à fidelibus populis incorrupta, atq̄ inviolata professione retinetur. Membra quoq̄ suo visibili capiti, tanto arctius charitatis glutino connexa, mundus agnoscat; & deniq̄ idem ille Spiritus unitatis, quo sola Ecclesia Catholica, ejusq̄ corpus admirabiliter compactum & coagmentatum est, tanto illustrius declaratur, dum veluti ab universitate populi Christiani, in ipsa unitatis pa-

is parente Romana Ecclesia, statis temporibus annus unus, san-
ctus, jure optimo nominatus, summa religione, rituq; solenni cele-
bratur. Hunc autem annum verè sanctum, annum Domini acce-
ptum & placabilem, quo homines pœnitentiam agerent, & ad
Deum & Patrem misericordiarum in corde perfecto converteren-
tur, primus mundo annunciauit, ipse vitæ & salutis nostræ auctor
Iesus Christus, Filius Dei, quem Pater unxit Spiritu sancto, &
omni super eum gratiæ plenitudine effusa, misit illum Euangeliza-
re pauperibus, & mansuetis mederi, & sanare contritos corde,
prædicare captivis, indulgentiam & remissionem, clausis apertio-
nem, & cæcis visum. Et nos etiam, qui, licet humiles & indigni,
vices tamen Christi, Domini in terris, ipso ita dissonente, gerimus
& tenemus, ex hac sublimi Apostolica Vigiliæ specula, vobis uni-
uersis Christi fidelibus annunciamus, indicimus, & euangeliza-
mus, hunc eundem annum Iubilæi, veræ pœnitentiæ & Spiritua-
lis lætitiæ. Et quia charitas Christi, pro quo legatione fungi-
mur, ad omnes gentes, urget nos, & Zelus salutis animarum come-
dit cor nostrum hortamur & obsecramus omnes, per asperionem
sanguinis Iesu Christi, & per adventum ejus, & diem tremendi
Iudicii, ut sacro potissimum Iubilæi tempore, convertatur unus-
quisq; a via sua mala, & revertatur ad Dominum in corde puro,
& conscientia bona, & fide non ficta, quia clemens & misericors
est Deus noster, & multæ miserationis, & præstabilis super mali-
tia. Dum vero ex nostro Pastoralis officii munere, carissimos in
Christo filios nostros, Imperatorem electum, reges & Principes
Catholicos, & omnes Christi fideles, toto terrarum orbe, in remo-
tissimis etiam provincijs & regionibus commorantes, ad Iubilæi
hujus sanctam, & jucundissimam in Domino celebritatem, summo
cum gaudio vocamus, atq; invitamus, eodem planè tempore acer-
bissimo doloris sensu vehementissimè commovemur, mente atq;
animo recogitantes, quam multæ nationes & populi, seipso mis-
rabiliter abscederint, ab unitate & communione Catholica & A-
postolica Ecclesiæ, qui proximo superiori centenario, in ipsa vna
Catho

Catholica & Apostolica Ecclesia Romana, nobiscum vnanimes,
& cum consensu, in domo Domini ambulantes, sanctum illius Iu-
bilæi annum, multa cum læticia, & spiritali exultatione cele-
brarunt; pro quorum æterna animarum salute, vitam nostram
ac sanguinem, si opus esset, libentissimè effunderemus. At vos
interea filij obedientes & Catholici, à Deo, & à nobis benedicti,
venite, ascendite ad locum, quem elegit Dominus, ad spiritualem
Sion, & Hierusalem sanctam, non litera, sed Spiritu, unde ab
exordio nascentis Ecclesiæ, lex Domini, & Lux Evangelicæ veri-
tatis in omnes gentes, & nationes derivata est. Hæc est illa fe-
lix civitas, cuius fides Apostolico ore laudata, annunciatur in
universo mundo, cui ipsi beatissimi Apostolorum Principes, Pe-
trus & Paulus, totam doctrinam cum sanguine profuderunt,
ut per sacram beati Petri sedem, caput orbis terræ effecta, ma-
ter esset cunctorum credentium, & magistra omnium Ecclesia-
rum. Hic fidei Petra, hic fons sacerdotalis unitas, hic incor-
ruptæ veritatis doctrina, hic claves regni cælorum, & summa li-
gandi atq; solvendi potestas: hic æniq; thesaurus ille Ecclesiæ in-
exhaustus sacrarum Indulgentiarum, cuius custos & dispensator
est Romanus Pontifex, qui eas omni quidem tempore distribuit,
prout salubriter in Domino intelligit expedire, sed anno potissi-
mum S. Iubilæi, pia, & larga profudit manu, quando & portæ,
in antiquissimis & religiosissimis, huius almæ vrbis, Basilicis &
Ecclesiis, aperiuntur more solenni, & fideles à peccatorum labe
expurgati, intrant in conspectum Domini, in exultatione. Ut non
jam ex veteris legis instituto, quæ umbram tantum habebat, fu-
turorum bonorum, neq; ex Hebræorum consuetudine, quibus omnia
contingebant in figura, ut servi, humanæ servitutis iugo constri-
cti, liberi evadant, aut in carceribus vincti dimittantur, aut gra-
vi ære alieno oppressi liberentur, quin etiam ad paternorum bo-
norum possessionem redeant. Terrena n. hæc, sunt fluxa & ca-
duca: sed fructus anni sancti & spiritalis nostri Iubilæi, illi
sunt uberrimi, quod animæ Christi sanguine redempti, è iugo fer-
reo

D

reo



reos diabolica Tyrannidis, atq; ex tetro carcere, & vinculis pec-
catorum, divina Sacramentorum efficacia absolvuntur, & dimis-
sis debitis, ac pœnis in adoptionem filiorum DEI, & ad cœlestis
regni hereditatem, & Paradisi possessionem dimittuntur, & alia
quam plurima DEI beneficia accipiunt. Nos igitur summorum
Pontificum, prædecessorum nostrorum vestigijs inhaerentes, & eo-
rum pium, ac saluberrimum institutum retinentes, de venerabili-
um fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu, tubilæi cele-
brationem, in annum proximum, millesimum, sexcentesium, à
primis vespers Vigiliæ Nativitatis Domini nostri Iesu Christi,
eiusdem anni millesimi, sexcentesimi inchoandam, & per totum
annum ipsum finiendam, auctoritate Dei omnipotentis, & beato-
rum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostro, quantum maximo
possumus animi nostri gaudio, ad ipsius Dei gloriam, & Catholi-
cæ Ecclesiæ exaltationem, indicimus ac promulgamus. Quo
ipso tubilæi anno durante, omnibus utriusq; sexus Christi fideli-
bus verè pœnitentibus, & confessis, qui beatorum Petri &
Pauli Apostolorum Basilicas, & sancti Ioannis Lateranen, ac S.
Mariæ Majoris de vrbe, Ecclesias, semel saltem per triginta con-
tinuos, aut intermissos dies, si Romani, vel incolæ vrbis fuerint,
seu per quindecim dies, si fuerint peregrini, aut aliàs externi,
devotè visitaverint, & pro ipsorum fidelium, ac totius Christiani
populi salute, pias ad Deum preces effuderint, plenissimam
omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem ac veni-
am misericorditer in Domino concedimus & impartimur. Et
quoniam evenire potest, ut ex ijs, qui hac de causa iter aggressi
fuerint, vel ad urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam ipsa
in vrbe morbo, vel alia legitima causa impediti, aut morte præ-
venti, præfinito dierum numero non completo, ac ne quidem for-
tasse inchoato, præmissa exequi, & dictas Basilicas & Ecclesias
obire nequeunt: nos pie prompteq; illorum voluntati, quantum in
Domino benigne facere cupientes, eosdem verè pœnitentes & con-
fessos prædictæ indulgentiæ & Archiepiscopi, & Episcopi in par-
tem sollicitudinis nostræ vocati, duces & pastores populorum, lux
mundi

mundi & sal terræ, capite tubas argenteas, quarum usus est in
Iubileo, id est, adhibete precationem verbi Dei, & annunciate
populis hoc gaudium, ut sanctificentur, & DEI iuvante gratia,
parati sint ad ea cœlestia dona capienda, quæ bonorum omnium
largitor, DEVS filius dilectionis suæ, per ministerium humilita-
tis nostræ præparavit. Adducite fratres verbo, & exemplo
parvulos, ad huius charissimæ matris ubera, quæ eos per Euan-
gelium in CHRISTO genuit, adducite filios ad Patrem, oves
ad Pastorem summum, membra ad caput, fideles ad fidei petram,
in qua omnis ædificatio Catholica Ecclesiæ, constructa consur-
git, adducite populum ad sanctam Romanam Ecclesiam, & ad
gloriosos principes terræ, Petrum & Paulum, qui universum
mundum legem Domini docuerunt, & quorum fides, dignitas &
auctoritas, indigno etiam inherere non deficit. Ad sacras igitur
Indulgentias, earumque salutare fructus, ipso Iubilæi anno
Romæ percipiendos, vocate cœtum, congregate populum, sanctifi-
cate Ecclesiam, docete oves fidei vestræ creditas, qui advenæ &
peregrini sumus in hac vita, & civitatem permanentem hic non
habemus, sed futuram inquirimus. Ideo quia breves dies
sunt nostræ, ærumnosæ peregrinationis, & nescimus, quâ hora pa-
terfamilias, & Sponsus CHRISTVS venturus sit, idcirco vi-
gilent, & lampades ardentes, & plenas oleo Charitatis & mise-
ricordiæ gestent in manibus, & festinent ingredi in illam requi-
em. Nam si unquam alias, nunc potissimum iræ, rixæ & con-
tentiones, & inveterata odia, dimittenda propter CHRISTVM,
hunc maximè decet misereri conservorum suorum, ut Dominus
clementissimus, omne debitum dimittat eis. Nunc præcipue
omnes charius impuritates abluendæ, ut templum DEI mundum
sit, & vnusquisque vas suum possideat in honore & sanctificatione.
Postremò, furta, rapinæ, homicidia & adulteria, & omnia pec-
cata exterminanda, ut placetur Ira DEI, & eos, qui Christiano
nomine gloriantur, agnoscat verè Christianos, & imitatores
CHRISTI, & sectatores bonorum operum. Docete autem

eos, quemadmodum ad salutare indulgentias consequendas, in animo contrito, & in Spiritu humilitato, assiduis orationibus & jejuniis, ceteris pietatis operibus, preparare seipso atq; exercere debeant. Et qui substantiam huius mundi habent, aperiant viscera sua, & fratrum suorum pauperum inopiam sublevent, præcipue verò erga peregrinos, Romam venientes, misericordes sint, & sanctam hospitalitatem Deo gratissimam, & quam vetustissimi illi Christiani, etiam inter persecutionum fluctus diligentissime coluerunt, ipsi quoq; multa cum hilaritate Spiritus, renouent atq; obseruent. Admonet etiam eos, ut orent pro Regibus & Principibus Christianis, ut quietam & tranquillam vitam agamus, ut pax & concordia perpetuò conservetur.

Postremò docete eos, cum sanctam peregrinationem susceperint, qua modestia, qua devotione, qua fraternæ pacis observantia lucere ipsos oporteat, ut sint CHRISTI bonus odor, in omni loco. Præbete autem vos ipsos fratres venerabiles erga omnem Clerum, exemplum imprimis bonorum operum, & formam gregis, ut nostræ virtutis & religionis, veluti sale, ceteri condiantur, & omnem peccati putredinem abhorreant, & deniq; omnes ut vnanimis, in uno spiritu Christianæ charitatis, atq; in omni sanctitate & iusticia Deo seruiamus. Hortamur quoq; & rogamus in Domino, carissimos in Christo, filios nostros, Imperatorem electum, ac reges & principes omnes Catholicos, ut quo plura, & magis illustria beneficia ab eo, per quem reges regnant, acceperint, tanto attentius, ut par est, ad Dei gloriam procurandam, pio Zelo excitentur, præcipue verò fratrum nostrorum Episcoporum, & superiorum Antistitum, pastorem sedulitatem & vigilantiam adiuvent, & à suis magistratibus & ministris, adiuuari mandent, ut improborum licentia coerceatur, & bonorum studia eorum regia ope & gratia foveantur, maxime verò erga peregrinos, beneficentiam & liberalitatem exercent, curentq; ut tuis incedant itineribus, & nulla hominum perditorum vexatione
pertur-

perturbentur, sed hospitalibus domibus, & publicis hospitij, liberaliter excepti, & comatu & rebus ad vitam necessarijs, recreati, sine ulla concussione & injuria, institutum iter, leti peragant, & cum gaudio in patriam revertantur. His n. hostijs, reges & principes, Deum sibi placabilem reddent, ut diu in terris felices vivant, & demum in sterna tabernacula recipiantur, ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerunt, in quibus Christus pascitur & nutritur. Ut igitur presentes literæ, ad omnium fidelium, in quibuscunq; locis existentium, noticiam facilius perveniant, volumus earum exemplis etiam impressis, & manu Notarij publici subscriptis, ac personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, sigillo munitis, eandem prorsus fidem haberi, quæ haberetur ipsis presentibus, exhibitæ si fuerint & ostensæ. Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam nostræ Indictionis, promulgationis, concessionis, imperationis, hortationis, rogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, eius se noverit incursum. Data Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1599. 14. Calend. Junij. Pontifi. nostri
Anno 8. B. Dat. A. d. Alexis

Registrata apud Marcellum Secretarium
Marcellus Vestrius Bardianus.







Ad clarissimum & excellentissimum Vi-
rum ABRAHAMUM ROCKENBACH, I. V. D. & ex-
traordinarium Professore in Academia Francofordiana,
Collegijq; Philosophici hoc tempore
Decanum.

VNus es ex multis, qui qualibet arte logismos
Obijcis, atq; theses, qua decet arte, secas.
Seu tibi Philosophum lis litigiosa notanda est,
Seu tibi Theologum lis dirimenda venit.
Seu Themis obijciat nodos, seu Phœbus, haberis
Vnus, qui cunctis disputet euge viris.
Hoc vidi his oculis, audiui his auribus, haud est
Quidquam, quod tibi non scibile, Abrame, fiet.
Heu quantum lumen Franckfordia possidet, vnus
In Viadri, quavis differis arte, scola.

M. Balthaf. Exnerus
Poeta Casarius.

F I N I S.





Gb 777. I

800

ULB Halle 3
 001 618 563



Sb.

EX LIBRIS
 ILLVSTRISSIMI VIRI,
 DN. DAN. LVDOLPHI,
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
 STATVS INTIMI, cetera,
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
 TESTAMENTO RELICTIS.

VDTT

114

In Splendoribus singularis imo celestis hominis filia



romis sub tanta vniuersitate
solentur reuertitur de regione
guana. **H**odie cadet pulcherrima
filia populi sui & domini patris oblit
fama sancti spiritus micata sed igne
materiali consumata. **H**ierem cor doli
ad fidem inclinauerat sed iam int
pugnando deitros amplexus vi
ditur per respecies eius concupierat
et in illa iunamur & filia audierat
quia celestis pater illa ut reuerteret
inocauerat **S**ancto igitur narcho
preedicante statim ad mentiam pa
tris rediit. **E**t cum illum cui male
adheret deseruit. **E**t que centum ca
dos olei dno suo redere debuit.
Accpta cautione sacramentorum
scripsit sibi quinquaginta & promeruit
esse filia **S**ic multi in retroactis era
tib' redire a suis errantib'. **S**ic ma
na magdalena sic mulier illa chana
neque postquam negauerat
rediit. **E**t paulus xpi voce pstrat
resipuit. **M**artice a theloneo ipsius
pris rediit pcomio. **E**t sacheu lico

Cus qui hunc di
nati verbum transi
cruas ad eum missa
et voce coniecta:
mus: ut diuini pati
s: in eius meramur
tant formam: qui pec
morum fieri precepit
is dominus nollet
Hic martis offi
cpeccauerunt. **L**olla.
illa tuam questimus
supplente ppicus
que te impudante
tarius martiri tua
e locumque eius
castellum.

Vna condicione
donati martis





ORATIO

**DE ANNO EPOCHES
CHRISTI MILLESIMO, SEX,
CENTESIMO, A CATHOLICIS HO-**
die Iubilæo dicto, in qua non tantum de Academia
Francofordianæ solenni introductione, sed etiam cau-
sis Anni Iubilæi, in veteri Testamento à DEO institu-
ti, dicitur, abususq; eiusdem à Pontificibus Romanis,
in Ecclesiam DEI primum introductus refutatur, &
explicatur, vera Filij DEI, pro peccatis nostris
monstrata satisfactione;

RECITATA

IN ACADEMIA FRANCOFORDIANA
in Collegio Philosophorum
Ab

ABRAHAMO ROCKENBACH IVRIS V. D.
Græca lingue & Mathematicum ante paucos annos, nunc
verò Extraordinario juris Professore, Collegijq;
Philosophici hoc tempore
Decano,

Anno Christi 1600.
ADDITA IN FINE BVLLA,
CLEMENTIS OCTAVI
Papæ, Pontificis
Hoc tempore Maximi.

Typis Nicolai Volzj exscripta.

